



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 136. Actum de Ducissæ Burgundiæ connubio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. CXXXVI.

*Actum de Duciffæ Burgundiæ
connubio.*Sæcul. XV.
A.C. 1477.

Magis secunda adfuit fortuna consiliis, quæ in aula Burgundiæ de Duciffa in matrimonium collocanda pertractata fuere. Huic in tori societatem offerebantur quatuor Principes, scilicet Delphinus Franciæ, Engolismensis Comes, Ducis Cliviæ Filius, & Archidux Maximilianus Imperatoris Filius. Equidem Ludovicus simulabat, quod Duciffam pro filio suo sponsam haud amplius peteret. Nihilominus in favorem Delphini Ludovicus Borbonius Leodiensis Episcopus, & Mariæ de Burgundia Avunculus auctoritate sua potentem conflabat factionem inter Flandriæ Proceres, qui Delphini nuptias anxie exoptabant. Verum Episcopus spe sua dejectus est proditione Guilielmi de Marchia amici sui, qui propria manu Borbonium trucidavit, ac penitus exspoliatum usque ad Mosæ litus abstraxit, & demum in flumen projecit, eo fine, ut fratrem suum natu minorem in Leodiensis Ecclesiæ sedem intruderet. Duciffa hujus nece a factione Delphino adhærente liberata est, seipsam vero exemit a primogenito Cliviæ Ducis Filio, Gandavensibus ejusmodi

Sæcul. XV. Principem recusantibus, cujus ditioes
A.C. 1477. ipsis vicinæ essent. Quapropter Dux il-
 le, qui nonnisi duorum annorum æta-
 te Mariam superabat, a nuptiis arceba-
 tur, partim Gandavensium repugnantia,
 partim propria Ducissæ in eum aver-
 sione. Aliunde vero omnibus explora-
 tum erat, Ludovicum XI. matrimonio
 cum Engolismensi Comite constanter ob-
 luctaturum, eo quod vereretur, ne si tam
 ampla bonorum successio ad Principem
 regio sanguine ortum devolveretur, po-
 tentissimum sibi hostem accerseret.

§. CXXXVII.

*Connubium Ducissæ cum Maximiliano
 Archi-Duce conciliatum.*

Supererat Maximilianus, Princeps nec-
 dum vigesimum primum ætatis an-
 num egressus, mira formæ dignitate præ-
 stans, atque ingenii acie haud parce præ-
 ditus, cetera laudatissimus, nisi quis ei
 aliquanto vehementiorem venandi cupi-
 ditatem vitio vertat. Præterea spem ha-
 bebat succedendi in Imperio; cum u-
 nicus Cæsaris Filius esset. Pater ejus
 Princeps sui ævi avaritia ac inertia ne-
 mini secundus (*) Maximilianum pro-
 prio

(*) *Insulse Continuator ejusmodi calumniam
 Impera-*